Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2761
Quelle:
Copyright:

Archiepiscopus in presentia domini nostri pape (Johanis XXII.) *et dominorum Cardinlium in die natiuitatis beate mari Virginis. Anno Millesimo trecentesimo.* XXXII. In illud: *Quasi flos egredietur* &c. *Videtur mihi quod ros in suo egressu* &c. Habetur etam *Cod.* praeced. sed ibi sine autoris nomine.

XIX. *fol.* 76. titulo *de Flagellatoribus* habetur insulsum de hac Secta Prognoficon ex *Albumasar*, *Hali*, *Messabalem* aliisque Astrologorum heroibus deductum, quod incipit: *Anno domini. M. CCC. XLIX. 12 die mensis Marcij. hora tercia post gallicantum completa, Intnuit sol principium arietis, et erat in ariete sol et saturnus. In pisibus Mars et mercurius. In geminis Iupiter. In aquario venus. In sagittario luna et ascendens capricornu. Ex hoc facta figura dispositions celi inuenta est talis* &c. Atque hinc jam vaticina deducuntur: *Erit noua secta — hec secta in peregrinacione multiplicabitur miraliliter — intrabunt quidam clerii, armigeri, ciues, mulieres — incipiet in oriente et procedet ad alamanniam — cultores maxime currnt versus septentrionem — habebunt caput saturninum pileis altis griseis uelatum.* Et sic porro de *verendorum alba veste*, de *percussione acuum cum effusione sanguinis non tamen sine ypocrisia*, de *horribili casu super terram et in modum crucis* &c. quorum omnium rato e coeli figura adfertur. Sub finem addit Noster: *Credo, quod in principio erit velox secta in fine uero debilis et non discrepabit multum a secta christianorum.* E quibus verbis autor *Hebraeus* quis aut *Arabs* videri possit. Sed nempe tarde *adsumsit parabolam.* Iam enim seculo praecedente coepere *Flagellatores*, ut collecta *Chronicorum* testimonia in eorum *Historia* a *Jac. Boileavio* tradita liquidum faciunt.

XX. *fol.* 76. p. 2. *Item de flagellatoribus.* Uti praecedens *Anonymus* ex astris, ita praesens, *Hermannus* fortasse *de Schildis* O. S. A. e divinis Literis τȣ̃ Μαστιγοφορȣ̃ describit, initio sic dato: *Deus uenerunt gentes in hereditatem. tuam. polluerunt templum sanctum tuum. Psalmista reprobat flagellatores in multis argumentis inquiens. Deus venerunt gentes* &c. *Hoc est quod flagellatores temeraria audacia ingressi sunt Ecclesias dei suo turpissimo sanguine altaria et loca sancta lamentabiliter inquinauerunt* &c. Non tamen ex solo hoc *Psalmo* LXXVIII. colores suos mutuatus est, neque ridiculum, ut solet, satis cavit. Ita legas: *Nudant se a pedibus vsque ad caput. Denudasti fundamentum id est. pedes vsque ad collum. Caput suum velant et cantant. Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos. Circa lumbos erant precincti et sic cadebant ad terram. Ipsi obligati sunt et ceciderunt* &c. Interim tamen non spernendam confert συμβολὴν ad penitiorem Sectae hujus cognitionem.

XXI. *fol.* 77. *Contra flagellatores processus.* Est Bulla *Clemen-*